



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Scientia Salvts, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

Laberhittel, Samuel

Ingolstadii, 1660

385. De sancto Joachimo. De fructu capiendo etiam ex malis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

nibi vicinior atque conjunctior sit, quam illa, ego quoque ad nullam animam in carne degentem majori favore inclinor, quam ad animam illius. Gratias agam Deo, quod in Religione mea hæc sit tessera: Omnia ad majorem Dei gloriam. An verò in omnibus solummodo gloriam Dei quæram, ex D. Bernard. conijciam ex 3. classe servorum Dei: Primus (inquit ille in Pl. 270.) Servus est, & timet sibi: Secundus, Mercenarius est, & cupidus sibi: Tertius Filius est, & defert Patri. Petam beneficio sacratissimæ Eucharistiæ ad hunc gradum admitti. Ut sicut per vitrum viride omnia viridia, sic per Christum D omnia nō tantum apparenter, sed deificatè faciam.

MEDITATIO CCCLXXXV.

De S. Ioachimo.

De fructu capiendo etiam ex malis.

Cons. 1. Quod S. Matthæus inter Magistros Christi meminerit vitiosarum, Thamar, Bersabeæ, Rahab Chananeæ, & Ruth gentilis: Causam dant SS. Ambr. & Hieron. Quia id requirebat veritas historiarum.

2. Quia Christus venit peccatores salvos facere.

Cons. 2. Causam dat S. Chrysostr. ut ostendatur vanitatem esse gloriari de majoribus, eorumque nobilitate: Quia vera nobilitas

FF 3 dependet

dependet ab actionibus virtutum, non majorum, sed proprijs.

Conf. 3. Causam quartam ex Menochio. Quod non sit sanguis tam sincerus, nec familia tam illustris, quæ non habeat in presenti, vel in præterito aliquam maculam, vel infectionem vitij, aut ignobilitatis. Discam ex virtuosis actionibus aliorum imitari, quod potero, ex vitiosis dediscam, quod videro.

MEDITATIO CCCLXXXVI.

De Annunc. B. Virgin.

De puritate & humilitate B. Virgin.

Videbo Angelum venientem ad parvam civitatem Nazareth, sitam in monte, in Galilæa minore 6. miliaribus distante à monte Tabor. Petam agnoscere duos sanctitatis fontes puritatem & humilitatem.

Conf. 1. Puritatem cordis esse sanctitatis principium, quæ est causa, cur Deus oculis mentis videatur. Suprema custodia puritatis oritur. 1. Ex continuo gratiæ influxu. 2. Ex delectatione in Deo, quia gustato spiritu desipit omnis caro. 3. Ex scripturæ divinæ frequentatione. *Ama scripturam, & carnis vitia non amabis, inquit Hieronym.* B. Virgo fereur ab Angelo reperta in lectione Isaiæ, ejus Spiritus exultavit peréniter in Deo salutari suo. Omnes cordis illius motus excitabantur, &
vivifi.